

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0463

0461

0467

0457

449

invisibiliter descendit, terram refrigerat et foecundat, suavis  
est et lucidus, modico calore siccatur; ros cadens facit foe-  
cunditatem; in favum ab apicula deportatus in mellis mutatur  
dulcedinem; in concham vero marinam descendens vertitur in  
pretiosam margaritam. De rore ergo dulcissimo illius deserti  
mane illo suximus (**b**) cum delectatione. De manna autem  
in monasterio S. Catharinae emimus, quod tamen sophisticatum  
et bene falsificatum reperimus, prout conjecturare possum ex  
praedictis. Contigit enim nobis de manna, sicut de balsamo  
dicetur fol. 78 sqq.

Cum ergo per praedictum angustum ingressum venisse-  
mus in latam vallem a herbis odoriferis refertam, altissimis  
rupibus cinctam rubei coloris, in illa valle et in cohaerentibus  
vallibus ab omni parte montis Synai habitaverunt filii Israel  
per tribus et familias suas sub tentoriis et tabernaculis eo  
tempore, quo Moyses erat cum Domino in monte. De quo  
dicetur clarius fol. 83 **b**.

Per aliquas ergo horas ascendimus contra orientalem  
plagam et demum dimissa illa plaga contra meridiem aliam  
vallem magnam et pulchram ingressi sumus et procul ante  
nos vidimus terribilem et altissimum parietem petrosi montis,  
versus quem ascendimus, et mirabamur, in quo loco de valle  
illa egressuri essemus, cum ante nos et in utroque latere  
nullum exitum cernere possemus, sed solum altissimis petro-  
sorum montium parietibus conclusos nos videremus. Cum  
autem paene usque ad grandem parietem, qui in prospectu  
nostro stabat, appropinquassemus, ecce scissura montis a  
summo usque deorsum erat in latere sinistro, per quam est  
via et non alia ad montis sancti radices. Ingressi ergo sumus  
per arctam viam istam et aspernum iter habuimus, camelis  
et asinis grave. Et cum paululum per voraginem illam ascen-  
dissemus fieretque vallis latior, ecce, structuras vidimus et  
aedificia et humana habitacula et ecclesiam oblongam, eratque  
beatissimae virginis S. Catharinae monasterium cum ecclesia  
et cum oratorio beatissimae Virginis Mariae ad Rubum dicto,  
in radicibus sanctissimi montis Synai. Haec cum vidi semus,  
de asinis cecidimus et cum gaudio magno prostrati contra  
locum adoravimus. Nam in eodem loco, ubi monasterium

29

Ende

Anfang